



## **Clypeus Theologiæ Thomisticæ**

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de Sacramentis in genere, de Baptismo, de Confirmatione, de  
Eucharistia, de Pœnitentia, de Extrema-Vnctione, de Ordine & de  
Matrimonio

**Gonet, Jean-Baptiste**

**Coloniae Agrippinae, 1671**

Art. III. An communio sub utraque specie potuerit laicis ab Ecclesia  
prohiberi, & convenienter ac iustis de causis fuerit eis prohibita?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77185](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77185)

lacionibus Patrum, quod cum quidam frater pateretur A  
Col: pollutionem semper in se suis, in quibus erat communican-  
dam, seniores comperto quod nulla causa ab ipso process-  
sit, & ita cessavit illusio Demonum.

Quærent hic aliqui, quoniam sint capaces man-  
dicationis sacramentalis Eucharistiæ, & fructus ac  
nutritionis spiritualis huius Sacramenti?

Respondet breviter, omnem & solum homi-  
nem viventem, baptizatum, esse capacem illius, nisi  
pena aliquâ Ecclesiastica impediatur. Dixi om-  
nem & solum hominem, ad exclusionem Angelorum,  
qui non possunt propriè sumere hoc sacramen-  
tum, etiam in corporibus assumptis, quia propriè  
& vitaliter non manducant. Imò nec ipsum man-  
ducant spiritualiter, ut docet S. Thomas hic art. 2.  
ratioque id suadet, is enim tantum est capax man-  
dicationis spiritualis huius sacramenti, qui est ca-  
pax sacramentalis; quia manducatio spiritualis, ut  
poterit vultum seu desiderium sacramentalis, suppo-  
nit capacitatem ad illam: Ergo cum Angelus non  
possit Eucharistiam sumere sacramentaliter, non  
potest etiam manducare spiritualiter. Sicut non est  
capax baptismi flammis, quia non habet capacitatem  
ad baptismum fluminis. Observe tamen D.  
Thomas ibidem, quod licet Angeli non mandu-  
cent spiritualiter hoc sacramentum, manducant ta-  
men Christum spiritualiter, per visionem beatam.  
Unde egregiè Augustinus in Psal. 33. conc. 1. In prin-  
cipio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus  
erat Verbum. Ecce vivus sempiternus, sed manducant  
Angeli, manducant superna Virtutes, manducant celestes  
Spiritus, & manducant, & saginantur &c. Addidi ho-  
minem viventem, ad exclusionem hominis mortui,  
quia homo mortuus non potest manducare. Sub-  
iunxi Baptizatum, quia Baptismus est janua omnium  
sacramentorum, & per illud datur potestas ad re-  
cipienda sacramenta modo sacramentali: unde Ca-  
techumeni, tamen habent votum Baptismi, &  
sunt per gratiam & charitatem iustificati, non pos-  
sunt tamen recipere Eucharistiam sacramentaliter.  
Dixi tandem, Nisi pena aliquâ Ecclesiastica impedia-  
tur, quia per excommunicationem maiorem pri-  
vatur fideles passiva & activa administratione sa-  
cramentorum.

Hec sunt certa & indubitata apud omnes, sed  
difficultas & controversia est inter Theologos,  
an infantes & perpetuo amentes sint capaces sa-  
cramentalis mandicationis Eucharistiæ: quibus-  
dam id affirmantibus, aliis verò negantibus. Sed  
probabilior sententia est, parvulos & perpetuo  
amentes, esse quidem incapaces mandicationis  
sacramentalis propriè sumptæ, quia hæc præter  
vitalem comestionem requirit actualem notitiam  
huius sacramenti, ut sacramentum est: unde infide-  
les aut bruti, etsi species consecratas comedant,  
non manducant tamen Eucharistiam sacramenta-  
liter, ut docet S. Thomas hic art. 3. ad 2. & 3. Parvuli  
tamen idonei sunt ad percipiendum fructum &  
nutritionem spirituales huius sacramenti: Nam o-  
lim in primitiva Ecclesia parvulis statim post bap-  
tismum solebat ministrari Eucharistia, teste Dionysio  
cap. ultimo libri de Ecclesiastica Hierarchia, & Cy-  
priano, de lapsis, ubi narrat mirabilem casum de  
puella, cui cum incisis parentibus datum fuisset ali-  
quid de idolothitis, eique postea, juxta consuetudi-  
nem illius temporis, daretur sanguis Christi, relu-  
ctans illum accepit, acceptumque statim evomit:  
quasi non potuerit (inquit Sanctus ille Martyr) in  
corpore atque ore violato Eucharistia permanere. Hunc  
Tom. 7.

morem non reprobant Tridentinum sess. 21 cap. 4.  
nec damnandos iudicat Patres qui illum induxe-  
runt: cum tamen maximè dammandi fuissent, si Eu-  
charistia nullum fructum conferret parvulis; nun-  
quam enim licet ministrare sacramenta iis in qui-  
bus suum effectum habere non possunt: Ergo par-  
vuli sunt capaces fructus huius sacramenti, & gra-  
tiæ nutritivæ quæ datur per Eucharistiam, sicut sunt  
idonei ad recipiendam gratiam roborativam quæ  
datur per Confirmationem.

Dices, Impossibile est aliquem esse capacem  
fructuosæ mandicationis Eucharistiæ, & non esse  
capacem sumptionis sacramentalis ejusdem; nam  
sacramentaliter manducare Eucharistiam, nihil aliud  
est quàm cum fructu recipere hoc sacramentum:  
Ergo si parvuli non sunt capaces mandicationis  
sacramentalis Eucharistiæ, non sunt etiam capaces  
mandicationis fructuosæ illius.

Respondet negando Antecedens, ad cuius pro-  
bationem, nego etiam Antecedens, nam hoc sacra-  
mentum fructuosè manducare, est illud recipere  
cum effectui, vi mandicationis passivæ; illud verò  
manducare sacramentaliter, est illud recipere ut  
prædicum signum gratiæ formaliter, subindeque  
cum notitia æquali illius.

## ARTICULUS III.

An communio sub utraque specie potuerit La-  
icis ab Ecclesia prohiberi, & convenienter ac-  
iustis de causis fuerit eis prohibita?

## §. I.

Quibusdam præmissis, duplici conclusione dis-  
tinguitur.

Cum Sacerdos celebrans sacrificium Eucharis-  
ticum, teneatur illud perficere & consummare: sumptio autem utriusque speciei pertineat ad  
consummationem talis sacrificii, certum est, com-  
munionem sub utraque specie, esse necessariam ne-  
cessitate præcepti, respectu Sacerdotis celebrantis:  
quod tamen intelligendum est, solum quando cele-  
brat principaliter, quoniam quando Neomystæ,  
seu Sacerdotes noviter ordinati, simul cum Episco-  
po celebrant, non communicant sub utraque specie.  
An autem illud præceptum sit divinum, vel tantum  
Ecclesiasticum, non est ita certum, vel tantum; quia  
licet omnes fateantur intentionem & præceptum  
Christi esse ut hoc sacrificium consummatur ab alio,  
videtur tamen sufficere quod sumatur id quod con-  
secratum est, vel ab eo qui consecravit, vel ab alio  
Sacerdote. Quantum verò ad Laicos, paulò ante  
Concilium Constantiense orta est apud Bohemos  
hæresis affirmantium communionem sub utraque  
specie esse de necessitate salutis, subindeque non  
posse Ecclesiam laicos privare usu calicis, quos se-  
cuti sunt nostri Novatores Lutherani & Calvinis-  
tæ, conclamantes Ecclesiam Romanam tyrannicè  
populum usu calicis privare.

Huius celebris difficultatis resolutio pendet  
ex decisione alterius, an scilicet sit de jure divino, &  
institutione Christi, communicare sub utraque  
specie. Si enim sit de jure divino, non poterit  
Ecclesia prohibere usum calicis; si verò nullum

jus divinum ex ter de laica communione sub utraque specie, poterit Ecclesia ad libitum vel illam permittere, vel illam prohibere; cum à Christo potestatem habeat: ut in sacramentorum dispensatione, salva eorum substantia, ea statuat vel mutet, quæ sulpicientium utilitati, vel ipsorum venerationi, pro rerum, temporum, & locorum varietate, magis expedire judicaverit; ut affirmat Tridentinum sess. 21. cap. 2. & probat ex illo i. ad Corinth. 4. *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi & dispensatores mysteriorum Dei*, & ex capite 11. ejusdem Epistolæ, ubi Paulus nominatim de hoc ipso sacramento loquens, *Cetera* (inquit) *cum venero disponam*. His præmissis, pro resolutione difficultatis propositæ.

Dico primò, nullum jus divinum extare de laica communione sub utraque specie, subindeque Ecclesiam usum calicis laicis prohibere posse.

2. Probatur primò: Si esset jus aliquod divinum de communione laica sub utraque specie, illud vel ex facto Christi, vel ex Scriptura, vel ex antiqua praxi Ecclesiæ, vel denique ex hujus sacramenti natura colligi deberet. Sed ex nullo ex his tale jus colligi potest: Ergo nullum jus divinum extat de communione laica sub utraque specie. Major patet ex sufficienti inductione: Minor verò probatur, discurrendo per singula. Et in primis quod ex facto Christi tale jus colligi nequeat, patet: Tum quia quicquid Christus fecit, aliis etiam faciendum non præcepit, alioquin tenerentur Sacerdotes consecrare vespere post cœnam. Tum etiam, quia Christus duos Discipulos solum in Emmaus, in sola specie panis communicavit: nam Lucæ 24. dicitur, quod statim atque panem consecratum eis porrexit, evanuit ex oculis eorum: quod autem panis ille à Christo consecratus, esset Eucharistia, colligitur ex eo quod ibidem dicitur, quod illi cognoverunt Dominum in fractione panis: nam per fractionem panis simpliciter dictam, in Scriptura Sacra significatur Eucharistia, ut patet ex illo Apostoli 1. ad Corinth. 10. *Panis quem frangimus, nonne participationis corporis Domini est?* & magis constabit ex aliis locis statim referendis.

53. Secundò quòd ex Scriptura nullum jus divinum de communione laica sub utraque specie colligi possit, probatur: Tum quia Actor. 2. de sola communione sub specie panis fit mentio, dicitur enim: *Erant perseverantes in communicatione fractionis panis*. Et cap. 20. dicuntur fideles una Sabbati convenisse ad fractionem panis: quod omnes de communione sacramentali interpretantur. Tum etiam, quia ut rectè Tridentinum sess. 21. cap. 1. Qui Joan. 6. dixit, *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis*: idem quoque dixit: *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum*. Imò Christus hoc capite, undecies mentionem fecit de hoc sacramento sub specie panis: sub nomine autem carnis & sanguinis, non nisi quater, ut ostenderet, ad salutem sufficere solum speciem panis: unde hoc Christus præceptum ibidem concludit sola manducatione panis: *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum*: ut egregiè annotavit Joannes de Ragusio, Ordinis Prædicatorum, qui (ut habetur 4. tomo Conciliorum, inter fragmenta Basileensis) veritatem hanc in Concilio Basileensi contra hæreticos acerrimè & eruditissimè propugnavit.

54. Tertiò, quòd jus aliquod divinum de commu-

nione laica sub utraque specie, ex antiqua Ecclesiæ praxi non colligatur, ex eo patet, quod in primitiva Ecclesia, Apostoli vicin, sui communione sub una tantum specie, utitur. Iltius usus testis oculati sunt Tertullianus lib. 2. ad uxorem cap. 5. Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatum, non longe ab initio, Cyrillus in Epistola de lapsis, Basilus in Epistola ad Cæsariam Patritiam, Augustinus item 22. & alii Patres primorum quinque seculorum, testantur fideles olim Eucharistiam in domum suam deferre solitos, & servare in loco domus, ut sumerent suis temporibus de manu ipsorum, cum metu persecutionum non possent frequenter ad Ecclesiam, & ad synagagam convenire. Testatur etiam Basilus, ubi supra, Mochoseremi cultores, eam deferre solitos in domum, ubi nullam habebant copiam Sacerdotum, in cellulis suis eam servare, ad similem usum. Refert quoque Baronius anno 17. num. 47. tum fuisse dari hoc sacramentum iter facientibus, si quod vitæ periculum in itinere eis accideret, tanto viatico præstarentur. At hæc omnia magis & verificari nequeunt, nisi de Eucharistia, & una tantum specie, scilicet panis: tum quia ceteri Patres, & nominatim Augustinus, dicunt nullum solitas fuisse sumere Eucharistiam in domo, sed olo, quod tamen de specie vitæ non potest magis. Tum etiam, quia sola species panis datur laicis in manum à Sacerdote; illicitum enim laicis calicem manu tangere, ut testatur Cyrillus Hierosolymitanus Catech. 5. versus finem, & Nazænus in oratione contra Arianos. Adde quod sanguis non potuisset diu servari, facile enim à vinum accecit, & corruptitur: sanguis autem plus manet sub speciebus, quam substantia vini illis conservetur.

Eadem praxis Ecclesiæ constat ex antiqua consuetudine, quæ in Ecclesia semper viget, & in die Paralceves hoc sacramentum sub una specie panis à Sacerdote officium celebrare solent, ut colligitur ex Gregorio Magno in libro sacramentali, & indicatur in sexta Synodo quæ Trullum can. 10. constatque ex eo quod Innocentius I. Epist. 1. cap. 4. docet traditionem Eucharistiæ fuisse ea die non sacrificari, nec sacramentum celebrari: cum enim (ut ait S. Thomas 2. 2. q. 84. art. 2. ad 2.) veniente veritate, cesset figura, & hoc sacramentum sit figura & representatio Domini & passionis, non est conveniens, ut eadē quæ passio Christi recolitur, Missæ sacrificium offeratur. Unde egregiè Hugo Viatorius secundo codicis Miscellaneorum lib. 5. *Hodie non sacrificamus, quia nobis hostia de manibus tollitur: non sacrificamus, quia cruciuntur inimici*.

Potest etiam ostendi communionem in una tantum specie, scilicet panis, fuisse licitam in primitiva Ecclesia, tribus exemplis, ex historia Ecclesiastica desumptis. Primum refertur ab Eusebio lib. 6. cap. 36. ubi ait quod Serapion perpuent suum misit particulam Eucharistiæ, & præcepit, Presbytero cuidam moribundo, præcipere puero, ut particulam illam madefaceret, ne forte moribundus eam deglutire non posset. Ex quo aperte colligitur, particulam illam Eucharistiæ, quam misit, fuisse tantum particulam speciei panis, quæ madefacienda esset, ne forte non posset moribundo deglutiri.

Alterum sumitur ex Sozomeno lib. 8. hystoria cap. 1. & Nicephoro lib. 13. cap. 7. ubi narratur,

molierem quandam Macedonianam, ut simularet se Catholicam, hæresimque suam fictâ communionem tegeret; loco panis Eucharistici, à S. Joanne Chrysostomo accepti in manus, substituisse panem prophanum, qui in ipsius ore statim in lapidem verius est. Ex quo etiam constat, in primitiva Ecclesia licitam fuisse Communionem sub una tantum specie, scilicet panis: si enim necessarium fuisset communicare sub specie vini, quomodo illa mulier suam fraudem tegere potuisset, substituendo similiter vinum prophanum loco vini consecrati? Neque enim, ut ex Cyrillo & Nazianzeno supra vultum est, calix tradebatur in manus laicis, sed ori eorum applicabatur à Sacerdote, vel à Diacono. De qua consuetudine multa scribit Baronius ubi supra.

Terrium exemplum sumitur ex S. Leone, qui serm. 4. de Quadragesima refert, quòd Manichæi, ut se Catholicos esse simularent, communicabant cum Catholicis: Sed id non potest intelligi de Communione sub utraque specie, sed solum de Communione sub specie panis: Ergo in primitiva Ecclesia licitum erat communicare tantum sub specie panis. Minor probatur, Manichæi enim superstitiosè abhorrebant à vino, tanquam à felle draconis, & veluti à demone factio, ejusque potum sacrilegum esse existimabant, neque credebant Christum sub illis speciebus esse in Eucharistia, ut colligitur ex Augustino lib. 20. contra Faustum, Manichæum, cap. 13. Ergo verisimile non est, quòd quando cum Catholicis communicabant, ut simularent suam hæresim, sub utraque specie communicarent.

Plura alia in ejusdem veritatis confirmationem adduci possunt exempla: Constat enim Nazarios, exordio nascentis Ecclesiæ, sub specie tantum panis communicare solitos fuisse: cum lege Moisaica, quam initio conversionis permitterebantur servare, vinum bibere eis non liceret. Narrat etiam D. Gregorius lib. 3. dialog. cap. 3. S. Agapitum, mutum sub sola specie panis communicasse, qui accepta Eucharistia, statim loquelam recepit. Item legitur in vita S. Bernardi, Monachum ipsi subditum communicasse, & quia panem Eucharisticum contra prohibitionem Sancti perceptorat, hoc Sacramentum de gluti non potuisse, donec solemniter absolutus à Sancto accesserit, à quo absolute sui criminis accepta, deglutivit ipsum sub specie panis tantum. Quæ omnia exempla aperte demonstrant, communionem sub una tantum specie, ante Concilium Constantinense fuisse licitam, & in Ecclesia usitatam, ut testatur D. Thomas hic art. 72. his verbis: *Proinde in quibusdam Ecclesiis observatur, ut populo sanguis sumentibus non detur, sed solum à sacerdote sumatur.*

Denum, quòd jus aliquod divinum de communionem laica sub utraque specie, ex natura hujus Sacramenti colligi nequeat, videtur manifestum: nam hoc Sacramentum integrè salvatur in qualibet specie; in qualibet enim continetur totus Christus, totaque refectio animæ, ut disp. precedenti art. 4. fuisse ostensum est. Nec una species in ratione Sacramenti pendet ab alia, esto pendeat in ratione sacrificii, quò pacto non potest, nisi in utraque specie à consecrante confici.

Confirmatur, & magis illustratur hæc ratio: Quatuor sunt in hoc Sacramento, ex quibus solum videtur posse peti necessitas Communionis sub utraque specie, respectu laicorum, subindeque

Tom. V.

jus aliquod divinum illos obligans ad talem communionem: scilicet ejus effectus, significatio, res contenta, & species continentes: Atqui ex nullo ex his talis necessitas peti potest: Ergo &c. Major patet ex sufficiente enumeratione, Minor verò probatur quantum ad singulas partes. In primis enim hæc necessitas non potest oriri ex effectu, quandoquidem vel totus effectus Sacramenti Eucharistia tribuitur communicanti sub una specie, ita ut, per se loquendo, communicans sub utraque specie, non plus gratia recipiat, ut loco citato docuimus; vel si, ut quidam existimant, detur major effectus per sumptionem duarum specierum, ille tamen major effectus non est necessarius ad salutem. Non potest etiam peti hæc necessitas ex significatione, utpote cum significatio quæ per se pertinet ad hoc Sacramentum, ut Sacramentum est, & ad effectum ejus, videlicet significatio unionis membrorum Ecclesiæ cum Christo ut capite, per se &c. reperitur sub singulis speciebus; sub pane quidem, quatenus ex multis granis unus conficitur; & sub vino, quatenus unus liquor ex multis uvis exprimitur: representatio autem expressa passionis, magis ad rationem sacrificii, quam Sacramenti pertineat; neque sit de ratione sacrificii, ut omnes qui adstant, & illud per Sacerdotem offerunt, de ipso participant, sed sufficiat, quòd publicus minister illud consummat. Item necessitas communicandi sub utraque specie, non potest oriri ex re contenta in hoc Sacramento, utpote cum totus Christus continetur sub singulis speciebus. Neque demum ex parte ipsarum specierum, cum enim specierum sumptio sit solum vel propter significationem, vel propter effectum, vel propter rem contentam; si ex his tribus nulla sequatur necessitas communionis sub utraque specie, evidenter concluditur, quòd nulla etiam oriatur ex parte ipsarum specierum.

Probat secundò conclusio, & ostenditur argumentum ad hominem contra hæreticos, nullum jus divinum, vel Christi præceptum extare de laica communionem sub utraque specie. Si enim communio sub utraque specie esset necessaria de jure divino, & ex præcepto Christi, non posset illa potestas humana in hoc dispensare, & permittere, quòd aliquando laici sub una specie communicarent: At hæretici ipsi in hoc dispensant in suis ordinationibus Ecclesiasticis: permittunt enim, ut abstemii, lapotis & odoris vitæ impatientes, communicent sub sola panis specie: Ergo sibi metipsis aperte contradicunt, quando contendunt communionem sub utraque specie esse de jure divino, & ex institutione ac præcepto Christi necessariam.

Dico secundò, convenienter, & iustis de causis, ab Ecclesia prohibita fuit laicis communio sub utraque specie.

Patet ex Tridentino sess. 21. can. 2. ubi anathemate damnat eos, qui dixerint, Ecclesiam Catholicam non iustis causis & rationibus adductam fuisse, ut laicos atque etiam clericos non conscientibus sub panis tantummodo specie communicaret. Id magis constabit afferendo causas, quibus mora est Ecclesia ad Communionem sub utraque specie prohibendam. Prima est, ad refellendam hæresim, quòd sub specie panis sit tantum corpus, sub specie vini tantum sanguis, ut multi Lutherani, teste Bellarmino lib. 4. de Eucharistia, cap. 8. asserunt, irridentes concomitantiam sanguinis Christi cum corpore, in panis specie. Secunda,

Pp 3 ad

ad refutandum errorem, quod sola species panis ad salutem non sufficiat, in quo ferè omnes hæretici versantur. Tertia, ad debitam reverentiam huic Sacramento præstandam; nam ob populi multitudinem vix evitari posset frequens sanguinis effusio, præsertim cum ad sacram mensam multi senes tremuli, & juvenes incompositi & inconsiderati accedant. Demum Ecclesia animadvertit, plures naturâ à vino esse abstemios, ipsiusque odoris impatientes; vinum multis in locis haberi non posse in tanta copia, ut multa hominum millia possint communicare; durumque esse Sacerdoti, id quod ab omnibus delibatum erat, & restabat, consumere, præsertim cum ad communicandum accederent aliqui malè affecti, sordidi, & fœtidi, qui etiam alios à Communione deterrebant, eò quod ex eodem calice illis bibendum erat. Alia etiam inconvenientia, quæ ex Communione sub utraque specie contingebant, refert Concilium Basileense, ut quod sæpè Sacerdotes ad supplendum sanguinem pro multitudine communicantium, consecrarent solum calicem, idque extra Missam, quod sæpè pro sanguine ministrarent purum vinum, & alia huiusmodi, quibus mota est Ecclesia ad Communionem sub utraque specie prohibendam.

## §. II.

*Solvuntur objectiones hæreticorum.*

64. Objiciunt in primis sectarii contra primam conclusionem: Christus Joannis 6. dixit: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Ubi copulativè dixit: *Nisi manducaveritis, & biberitis* &c. Ergo utrumque implendum est ex Christi præcepto. Neque sufficit respondere (inquit Molineus) sanguinem Christi contineri per concomitantiam sub specie panis, quandoquidem Christus præcipit bibere: tumere autem solum speciem panis, non est bibere.
65. Secundò opponunt verba Christi Matthæi 26. *Bibite ex hoc omnes:* non enim (inquit) solis pastoribus dicta sunt, sed omnibus fidelibus: quia si laici non teneantur ex vi talis præcepti bibere calicem, quia illi, quibus tunc Christus dedit, erant pastores, non tenebuntur etiam edere panem Eucharisticum, quandoquidem similiter illi, quibus tunc temporis Christus panem porrexit, & edere præcepit, erant omnes pastores. Unde Paschasius libro de corpore Christi cap. 15. verba illa Christi: *Bibite ex hoc omnes,* sic exponit: id est, tam ministri, quam reliqui credentes.
66. Tertiò sic arguunt: In istis aliis Christi verbis Lucæ 22. *Hoc facite in meam commemorationem,* præceptum est Apostolis, ut idem facerent, quod Christus ipsis faciebat: Sed Christus dabat Apostolis utramque speciem: Ergo Apostolis & eorum successoribus præcepit, ut fidelibus utramque speciem ministrarent.
67. Quartò ex verbis Apostoli 1. ad Corinthios 11. *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat,* sic arguerantur: Si Rex præcipiat, ut miles arma sumat, & strenuè pugnet, utrumque illi præcipit: Ergo similiter cum Paulus præcipiat fidelibus etiam laicis, ut edant de pane, & bibant de calice, utrumque illis præcipit.
68. Ad primum locum tripliciter responderi potest. Primò sensum hujus propositionis: *Nisi manducaveritis & biberitis,* posse esse disjunctivum,

A ex modo loquendi Hebræorum; qui sæpè particulâ copulativâ utuntur pro disjunctivâ, ut *Argentum & aurum non est munda* Jeremias 15. *Si non venissem, & locutus fuisset eis, ne cecidissent non haberent.* Id etiam contra ex illis apostoli 1. ad Corinthios 11. *Qui manducat, & bibit indigne, judicium sibi manducat & bibit:* hoc est, qui manducat, vel bibit: Neque enim per indignam hujus Sacramenti assumptionem, necessarium est, ut sub utraque specie illud indigne sumat, sed sufficit, quod panem Eucharisticum vel calicem indigne sumat. Ex hæc tenet ipsi permittunt abstemios communicare sub specie panis, & tamen non putant abstemios privandos esse vitâ æternâ: Ergo nec ipsi sentiunt in rigore hanc sententiam Christi copulativè: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.*

Respondeo secundò illic dari præceptum de utraque scilicet corpore & sanguine Christi sumendo in Eucharistia, non autem de modo sumendi sub una aut duplici specie: Christus enim ex veris protulit contra eos, qui inter se litigabant, dicens: *Quomodo potest hic nobis dare carnem suam ut manducandum?* Illi autem non litigabant de modo sumendi sub utraque vel unica specie, sed de re ipsâ, an nimirum posset caro ejus & sanguis Eucharistia sumi.

Tertiò. Esto deur præceptum ibi de utraque specie sumenda, non tamen datur ut implendum per singulos, sed per aliquos tantum, scilicet per Sacerdotes consecrantes: sicut licet Deus universaliter Deus jubeat: *Crescite & multiplicamini,* non significant tamen, quod ab omnibus, sed solum à quibusdam, humanæ propagationis opera deur.

Ad secundum respondeo, verba illa: *Bibite ex hoc omnes,* dicta esse solis Apostolis: ex tantum dicta fuere, de quibus Marci 14. dicitur: *& biberunt ex illo omnes,* scilicet soli Apostoli, quibus Christus potius dixit: *Bibite ex hoc omnes,* quam *manducate ex hoc omnes,* quia panem ejus fregit, deditque eis: vinum autem in calice consecratum dedit discipulis inter se dividendum, juxta illud Lucæ 22. *Accipite & dividite inter vos.* Ad probationem verò in contrarium dico ex vi illorum verborum non teneri fideles laicos edere panem Eucharisticum, sed ex vi illorum: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, &c.* Expolitio autem Paschasii est accommodanda intelligenda, ut nolit eodem modo bibere reliquos fideles, ut ministros consecrantes; sed consecrantes sub utraque specie, & formaliter: reliquos verò fideles sub alterutra tantum specie, & concomitantem; quia sub specie panis concomitantem etiam bibunt sanguis.

Ad tertium respondeo, Christum illis verbis: *Hoc facite in meam commemorationem,* solum ordinasse, ut Apostoli, eorumque in sacerdotio successores, offerrent corpus & sanguinem suum in sacrificio Missæ, ut constat ex Tridentino sess. 21. canone 2. Unde falsum est, quod dicunt sectarii, nimirum Christum verbis illis præcepisse Apostolis, ut ipsi facerent aliis, quidquid ipse eis fecerat, alioquin enim præcepisset, ut omnes alios facerent Sacerdotes, quandoquidem ipsi tunc à Christo Sacerdotes facti sunt.

Ad quartum respondeo, Paulum tradere illi præceptum non de edendo pane, vel bibendo

do calice absolute, sed tantum de modo dignè edendi, vel bibendi; nihil enim intendebat quam corrigere abusus & irreverentiam Corinthiorum in perceptione corporis & sanguinis Christi. Certe si Apostolus verbis illis voluisset, ut doceret Sectarii, tradere præceptum sumendi utramque speciem, male præmississet propositionem istam disjunctivam, utpote tali intento contrariam: *Traque quicunque manducaverit panem, vel biberit calicem Domini indigne &c.*

74 Obijciunt insuper Sectarii aliqua Patrum testimonia, quibus significare videtur, esse præceptum divinum communicandi sub utraque specie: Iustinus enim Apolog. 2. pro Christianis, post descriptam communionem sub utraque specie, subdit: *Apostoli in Evangelio ita sibi Christum præcipisse tradiderunt.* Cyprianus libro 2. Epistol. 3. Quidam (inquit) vel ignoranter vel simpliciter in calice Domini sanctificando, & plebi ministrando, non hoc faciunt quod Christus fecit & docuit. Et sermone de cœna Domini: *Lex esum sanguinis prohibet: Evangelium præcipit ut bibatur.* Augustinus libro questionum in Leviticum quæst. 7. *Ad bibendum sanguinem omnes exhortantur qui volunt habere vitam.* Bernardus sermone 3. in ramis palmarum: *Alimentum corporis & sanguinis Domini in prima cœna Domini exhibitam, deinceps frequentari mandatur.* Demum Leo Papa sermone 4. de Quadragesima reprehendit eos qui corpus Christi accipientes, sanguinem haurire declinabant. Et Gelasius de consecratione dist. 2. cap. *Comperimus, jubet vel abstinere à communione, vel utramque speciem sumi, Quia (inquit) divisio unius ejusdemque mysterii, sine gravi sacrilegio non potest provenire.*

75 Ad Iustinum respondeo illum solum velle, Apostolos à Christo præceptum accepisse consecrandi in utraque specie, non verò alios communicandi in utraque. Unde præcipisse non cadit supra communionem in utraque specie, sed supra consecrationem. Quod verò ea interpretatio legitima sit, ex eo colligitur, quod idem Author ibidem dicat, Eucharistiam per Diaconos deferri ad eos qui Missarum solemnis, quæ diebus Dominicis celebrabatur, adesse non poterant. Nec enim probabile est ad hos abentes sanguinem per illos fuisse delatum, ob periculum effusionis, sed solum corpus sub specie panis; sicut dabatur iter facientibus, & iis qui domum revertentes futuris solemnis adesse non poterant, nec non Monachis Eremitarum cultoribus, qui ipsum in Eremitum deferre solebant, & in celulis suis servare, ut supra ex S. Basilio retulimus.

76 Ad Cyprianum dico, eo loco non agere de calice populo ministrando, sed de aqua miscenda vino consecrando, ut patet ex verbis, quæ loco citato subiungit: *Admonitos autem nos scias, ut in calice offerendo, Dominica traditio servetur, neque aliud fiat à nobis, quam quod pro nobis Dominus prior fecit: ut calix qui in commemorationem ejus offertur, mixtus vino offeratur.* Adde quod potuit hic Patet ad calicis sumptionem populum adhortari, quia in ejus Ecclesia vigeat usus communicandi sub utraque specie: quare lib. 1. Epist. 2. de Martyribus loquens, hæc habet: *Quomodo docemus aut provocamus eos in confessione nominis sanguinem suum fundere, si eis militaturis Christi sanguinem denegamus? aut quomodo ad martyrii poculum idoneos facimus, si non eos ad bibendum prius in Ecclesia poculum Domini, jure communicationis admittimus? Et Au-*

A gustinus in Psalmum 22. *Hoc calice (inquit) inebriati erant Martyres, quando ad passionem euntes suos non agnoscebant, non uxorem sentem, non filios, non parentes, & gratias agendo dicebant: Calicem salutis accipiam.* Unde quando idem S. Doctor ait quod ad bibendum sanguinem omnes exhortantur qui volunt habere vitam, vel solum hortatur fideles ad servandam illam consuetudinem communicandi sub utraque specie, quæ tunc vigeat non solum Carthagini, sed etiam in aliis Africæ Ecclesiis: vel si id esse de præcepto divino significet, loquitur tantum de sanguine quoad rem, qui simul concomitanter sumitur cum corpore, sub specie panis; non quoad modum sumendi sub specie vini. In quo sensu etiam explicari & intelligi potest locus D. Bernardi, vel dici ipsum ibi loqui de solis Sacerdotibus consecrantibus.

B Ad D. Leonem & Gelasium dico quod ut latentes suis temporibus sub Catholico nomine Manichæos detegerent, decretum condiderunt de communione sub utraque specie, tanquam de medio ad hunc finem aptissimo; cum enim Manichæi haustum calicis penitus abhorrent, ob rationem supra allatam, ab eo abstinentes, non obstante decreto illo, & tamen communicantes sub specie panis, facile detegi poterant, & à veris Catholicis secerni; idè autem Gelasius, pro ratione talis sui decreti, addidit, divisionem unius ejusdemque mysterii sine grandi sacrilegio non posse provenire, quia Manichæi abstinentes à vino tanquam à Damone facti, non credebant Christum sub ejus specie in sacramento altaris existere. Ex quibus nihil contra nos, communionem enim illam sub utraque specie non decreverunt Summi illi Pontifices tanquam necessariam necessitate divini præcepti ad salutem.

78 Obijcies tertio: Quod superior concedit, inferior prohibere non potest: Sed Christus quamvis non præcepit utrum calicis, concessit tamen fidelibus jus ad illud, ut constare videtur ex illo Luca 22. *Bibite ex hoc omnes:* Ergo Ecclesia non potest illos privare usu calicis.

D Confirmatur: Hoc sacramentum est ultimum testamentum quo Christus morti proximus, corpus & sanguinem suum legavit filiis suis: Ergo Ecclesia non potest absque iniustitia hæc hereditate Christianos privare, cum non sit domina, sed tantum administratrix sacramentum.

Ad objectionem respondeo Christum non contrulisse fidelibus jus petendi calicem absolute, sed cum subordinatione ad Ecclesiam, quæ est optima legum Christi interpret.

Ad confirmationem dico quod Ecclesia privando laicos usu calicis, non privat eos propterea hereditate à Christo legata, tum quia quidquid acciperent per utramque speciem, accipiunt per unam tantum: tum etiam quia esto fraudarentur aliquâ gratiâ, cum tamen hæc non sit ad salutem necessaria, non defraudantur paternâ hereditate, quæ salvatur in gratia ad salutem necessaria. Sicut infantes non dicuntur fraudari paternâ hereditate, eò quod priventur gratiâ sacramentali quam ex manducatione hujus sacramenti præcipere possent.

Ex dictis inferes, ex vi præcepti divini, non minus licitum ac sufficiens ad salutem fore, hoc sacramentum sub specie vini, quam sub specie panis sumere; cum non minus una species quam altera annexam habeat promissionem æternæ vitæ, & totum Christum, totamque resurrectionem

nem spiritualem animæ contineat. Ecclesia tamen communionem laicorum ad speciem panis, potius quam ad speciem vini determinavit, tum propter minus periculum irreverentiae, tum propter majorem difficultatem habendi & conservandi vinum in regionibus in quibus non nascitur, illudque pro inermis conservandi. Præterquam quod animadvertit aliquos esse à natura abstemios, & à vino abhorrentes, ejusque saporis & odoris impatientes.

81. Quæres, liceatne in aliquo casu calicem sumere laicis?

Respondeo affirmativè, quia reverentia sacramenti, & intentio Ecclesiæ, potest interdum exigere contrarium: ut si verbi grati periculum sit ne species vini consecrata, ab infidelibus effundantur, & proculcentur; vel si mortuo Sacerdote ante consumptum calicem, nullus alius sit qui consumat, & corruptionis specierum periculum imminet. Addunt aliqui id licere in casu in quo moribundus non posset hostiam deglutire, sed solum sub specie vini communicare. Sed huic sententiæ non assentior, quia cum hoc sacramentum non sit simpliciter necessarium, non obligat nisi cum debitis circumstantiis ab humano præcepto præscriptis, dependenter à quo sæpe divina obligant. Unum tamen casum excipio, in quo scilicet moribundus habens conscientiam mortalis, non posset habere Sacerdotem cui confiteretur, posset tamen habere Diaconum qui sibi sanguinem ministraret; nam cum in eo casu sumptio Eucharistiæ illi esset ad salutem necessaria, per epikeiam & legis interpretationem, communicare posset sub specie vini: sicut articulo præcedenti dicebamus, licere in simili casu Sacerdoti non jejuno celebrare; si nimirum sumpto veneno mortis appropinquaret, & habens conscientiam mortalis, copiam Confessoris non haberet. Vix tamen casus est mortaliter possibilis, nisi tantum in eventu, quo deficiente Sacerdote post sumptionem corporis, maneret sanguis in altari, & non esset Sacerdos qui supplere posset defectum, & moribundus esset proxime expiraturus.

82. Demum potest aliquis sub utraque specie communicare ex privilegio, potest enim Ecclesia super hoc præcepto suo dispensare; ut ipsa dispensavit Clemens VI. cum Rege Christianissimo, Anno 1341. & Paulus III. cum Bohemis, modo non adhæreant hæresi Petri Dresdenfis, & Jacobi Minelli, qui primi in Bohemia Anno 1412. Calixtinorum hæresim seminarunt. Item Papa solemniter celebrante, Diaconus & Subdiaconus sub utraque specie communicant.

## DISPUTATIO X.

De Ministro Eucharistiæ.

Ad quæstiones 80. & 82. D. I. & 80.

**M**inister Eucharistiæ duplex esse potest: alter conficiens, cujus potestas versatur in materia consecranda: alter tantum dispensans, qui solum distribuit materiam præconsecratam. De utroque in hac disputatione differemus, & utrum hujus sacramenti consecratio & administratio soli Sacerdoti conveniat, breviter resolvemus. Aliæ verò difficultates quas Thomas art. 5. & sequentibus pertractat, in

A scilicet malus Sacerdos, & hæreticus, an debet consecrare, Eucharistiam consecrare possit, in Tractatu de Sacramentis in communi, & de Ministro sacramentorum, disp. 6. expelluntur.

### ARTICULUS I.

Utrum consecratio hujus sacramenti sit propria Sacerdoti, ut a nullo alio, etiam in casu necessitatis, fieri possit?

**L**utherani existimant, quemlibet Christianum, vi Baptismi, habere potestatem consecrandi Eucharistiam, licet hoc officium nemini sumere debeat nisi legitime vocatus, excepto casu necessitatis: in casu verò necessitatis dicitur quod unusquisque Paterfamilias potest domus suæ panem & vinum consecrare, & corpus & sanguinem suæ exhibere familie. Fundamentum istorum est, quia Scriptura variis in locis docet omnes Christianos esse Sacerdotes: Nam 1. Petri 2. dicitur vos autem genus electum, regni Sacerdotum. Et D. Joannes Apocal. 1. Feni inter regnum & Sacerdotes Deo & Patri suo. Et cap. 5. Tuus es Deo nostro regnum, & Sacerdos. Unde Tertullianus in exhortatione ad castitatem cap. 7. Sacerdos & Laici Sacerdotes sumus? scriptum est, Regnum & Sacerdos. Et Sacerdotes Deo & Patri suo sancti. Reverentiam inter ordinem & plebem constituit talis autoritas, & honor per Ordinis confessionem constitutus à Deo. Vbi Ecclesiastici ordinis non est confessio, offers, & tingis, & Sacerdos est tibi solus, sed & omnis Ecclesia, licet Laici: unusquisque enim de sua familia.

Dico tamen, solum Sacerdotem posse hoc sacramentum consecrare. Hæc conclusio elucet de fide: habetur enim in cap. Firmiter declarata Trinitate, his verbis: Hoc sacramentum non potest consecrari, nisi solus Sacerdos, qui sit iustus & sanctus. Colligitur etiam ex Tridentino sess. 21. capituli affirmat sacrificium & Sacerdotium Deo connotatione esse conjuncta, & Christum Apostolorumque in Sacerdotio successoribus, potestatem tradidisse consecrandi, offerendi, & ministrandi corpus & sanguinem ejus, nec non & pro peccata dimittendi & retinendi. Idem etiam patet ex forma initiandi Sacerdotes in universa Ecclesia Latina, in qua sic dicitur ab Episcopo accipere potestatem offerendi sacrificium pro vivis & defunctis. Quæ verba in nullius alterius ministerio ordinatione proferuntur. Demum id constat ratione S. Thomæ hic art. 1. Illi enim soli possunt consecrare corpus Christi quibus ipse Christus hæc potestatem planè supernaturalem concessit: illi qui non concessit eam nisi Apostolis, eorumque in Sacerdotio successoribus, verbis illis, hoc facite in meam commemorationem. Unde Clemens Romanus lib. 8. Constit. cap. ultimo affirmat Christum solis Apostolis dixisse, Hoc facite, ab illis vero & per illos derivatam fuisse hanc potestatem ad Presbyteros: ideoque lib. 2. cap. 37. ait: Quicumque Laicus sine Sacerdote aliquid operatur, non recte operatur: Ergo, &c.

Favet etiam alii SS. Patres: Chrysostomus in 1. lib. 3. de Sacerdotio cap. 4. & 5. Sacerdos gradum, supra reliquorum hominum dignitatem, mirum in modum extollit, eo quod habeat potestatem offerendi sacrificium Eucharisticum, & remittendi peccata. Et Hieronymus in Epistola